THESIS

Schmidt, Friedr.

Greifswald

1856

DE

THERAPIA

ULCERIS CHRONICI VENTRICULI NONNULLA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XXII. MENSIS NOVEMBRIS ANNI MDCCCLVI

1856

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRIDERICUS SCHMIDT,
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
C. LIEBERMEISTER, DRD. MED.
A. TENCKHOFF, DRD. MED.
J. SCHADE, CAND. MED.

GRYPHIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Ulcus chronicum ventriculi, quod saepe, imprimis in muliebri genere, invenitur, tantas molestias efficere solet, ut saepe non modo aegrotus, verum etiam medicus ad desperationem perduci eo possit. Praetermissis ejus diagnosi et symptomatibus, quum satis nota sunt, id tantummodo commemorabo, imprimis eos, qui illo morbo laborent, capi cum cardialgiis et vomitu chronico, tum haematemesi. Tamen non raro fit, ut ulcus chronicum in vita saepe effugiat acerrimam diagnosin, atque gaudeo, quod de morbo ejusmodi referre licet, quem Ill. Niemeyer in clinico suo enarravit. Puella quaedam, viginti annos natu, quae cum diu cardialgiis, amenorrhoea, aliisque malis, laboraret atque summam anaemiam, denique omnia chlorosis symptomata praeberet, per aliquod tempus ferro tractata subito vehementi haematemesi afficiebatur, post quod tempus diagnosis ulceris rotundi sine dubio constabat.

Item negari non potest, quin etiamsi rarius, casus nobis occurrant, in quibus periti ipsi medici

ulcus chronicum ventriculi agnoscant, alius vero quidam morbus constet. Attamen multis in casibus symptomata tam clara et perspicua sunt, ut dubitari non possit, quin ulcus chronicum ventriculi exsistat et his ipsis in casibus saepe occasio obvenit, animadvertendi, therapia idonea non modo valetudinem in melius mutari, verum etiam plane restitui. Qui eventus secundus, quum saepissime obveniat, necesse est, eum plerumque therapiae institutae attribuere. Itaque non solum constat, ulcus rotundum sanari posse, cicatrice radiata relicta, quod plurimae sectiones probant, verum etiam curandi rationes exsistere, quibus ejus sanatio adduci possit.

Quum autem, quamquam hi praeclari eventus constent, tamen saepe medicamentis morbus non cedat, quod tam diversis therapiae ejus rationibus admirandum non est, minima adjumenta ad ulcus chronicum ventriculi curandum exspectanda esse mihi videntur, qua de caussa sperare fortasse mihi licet, hoc opusculum non omnino inutile fore.

Praescripta diaetetica, caput totius therapiae, jamdiu tam recte cognita et constituta, ut de iis tacere mihi liceat. Cuique notum est, in ventriculi morbis nullos cibos concoctu difficiles, in statu sensibili et phlogistico ventriculi substantias irritantes non adhiberi.

Aliter se habet res quoad medicamenta adhibenda. Magna copia medicamentorum maxime variorum, cujus vi therapeuticae in ulcus ventriculi chronicum meo ipsius judicio opponere nihil possum,

contra hunc morbum adhibita atque commendata sunt. Id tantummodo mihi commemorandum est, facile fieri posse, ut quum haec medicamenta plerumque simul cum therapia diaetetica adhiberi soleant, effectum alterius alteri adscribatur.

Remedia narcotica, amara, Jodum, Ferrum, Magisterium Bismuthi, Argentum nitricum certe sunt medicamenta effectu maxime vario, attamen quodque eorum auctorem, habet, a quo contra ulcus chronicum commendetur. Ex quo facile intelligi potest, nullum eorum constanter habuisse eventum faustum.

Remedia quidem narcotica in ulcere chronico curando praetermittere non possumus, mea vero sententia tum modo adhibenda sunt, quum dolores tam vehementes fiant, ut eos leniri necesse sit. Ea vero ad ulcus sanandum magnam exercere vim credere non possum, quum mihi maxime dubium sit, num ventriculi motus retardatus, quo sanare dicuntur, tantam afferat utilitatem. Ventriculi actio in ulcere rotundo sponte jam debilitata est et eo effectus maxime perniciosos afferre mihi videtur. Tantum in perforationis symptomatibus hic effectus mihi desiderari videtur. Morphium aceticum igitur equidem tum demum porrigam, ubi vehementiam dolorum leniri necesse est.

Et ratione et experientia Argentum nitricum certo commendatur. Quod remedium in nosocomio Gryphiswaldensi et contra ulcus chronicum ventriculi et contra catarrhum gastro-intestinalem chronicum saepe porrigitur, ac fortasse faustiore cum

eventu, quam in aliis locis, quod ex variis applicandi methodis sequi potest. De eo quidem adhuc certamen est, usque ad quas partes tractus alimentarii solutio Argenti nitrici hausta effectum habere possit. Tam parvae vero doses, quam in usu sunt, in ventriculo fere indifferentes esse videntur, et quidem secundum rationem factum mihi videtur, si, ut in nosocomio nostro fieri solet, mane, cibo nondum sumpto, hoc remedium semel, ad grana duo pro dosi, datur. Praeclari eventus hoc modo impetrati docent, anxietatem, qua saepe multo minores doses hujus remedii dantur, omni caussa carere.

Quum in nosocomio nostro per quoddam tempus Argentum nitricum semper prospero cum eventu adhiberetur, tamen mox aegroti obvenerunt, ulcere rotundo aut catarrho gastro-intestinali chronico affecti, in quibus non solum vis ejus medica nihil prodesset, sed nocere adeo videretur. Nam eo adhibito, secutae sunt cardialgiae, diarrhoeae, atque aegroti saepe moveri non potuerunt, ut remedio diutius uterentur. Caussa hujus effectus a priori omnino diversi nullo modo inveniri potuit. Quum autem in pluribus aegrotis identidem obveniret, loco Argenti nitrici Sal thermarum Carolinarum facticium porrectum est, cujus effectus tam praeclarus fuit, ut facta experimenta digna habeam, quae publicentur; nam secundum haec hoc remedium in ulcere rotundo curando prae omnibus excellit.

Inter remedia ulceris chronici ventriculi jam prius thermas Carolinas invenimus commendatas.

Nam Hlawaček*) dicit: „Wichtiger indess, als die Erklärungsweise, ist jedenfalls die Thatsache, dass Carlsbad eines der wirksamsten Heilmittel gegen dieses so häufig vorkommende Leiden ist.“ Non minus id commendat contra colicam, obstructionem chronicam, vomitum chronicum, flatulentiam, quae symptomata semper etiam comites ulceris chronici videmus.

Item profitetur Jaksch**) in praeclara monographia de ulcere perforante: „Mehrfache Nachforschungen bei Kranken, die lange Zeit an Symptomen litten, die mit grosser Wahrscheinlichkeit auf ein perforirendes Magengeschwür schliessen lassen, haben in mir die Ueberzeugung hervorgebracht, dass Carlsbad, und insbesondere die gelinderen Quellen, der Schloss- und Theresienbrunnen, gegen diese Krankheit heilkräftig wirken.“

Denique etiam Bamberger***) ejus mentionem facit inter remedia ulceris chronici: „Auch unter dem Gebrauche der Carlsbäder und ähnlicher Mineralwässer sieht man oft die hartnäckigsten Fälle weichen.“

Secundum haec mirum videtur, Sal thermarum Carolin. in curando ulcere chronico nondum ab omnibus comprobari. Si autem respicimus, vim hujus medicamenti tantum leviter commemorari, itemque et sal naturale et aquam Carolinam, si

---

*) Monographie von Carlsbad pag. 98.

**) Prager Vierteljahrsschrift, 1844, III., pag. 15.

***) Virchow, spez. Pathol. u. Therap. B. VI., I. 1, pag. 290.

e longinquo advehenda sit, majoris pretii esse, quam ut a multis adhiberi possit, haec res facile explicatur. Si Sal thermar. Carol. facticium saepius contra ulcus rotundum in usu fuisset, fortasse commendatione non opus esset, nam certo magis notum factum esset, sal facticium fere semper naturali praeferendum esse.

Postquam demonstravi Aquam Carolinam jam prius contra ulcus rotundum salubrem inventam esse, restat, ut his morbi historiis doceam, quem effectum Sal thermarum Carol. facticium in nosocomio nostro ad ulcus chronicum sanandum habuerit.

Historia morbi I.

Guilelmina Schwarzmann, quadraginta annos nata, mercenaria Gryphiswaldensis, puerili aetate atque pubescente se perpetuo robustam fuisse optimaque valetudine gavisam esse contendit. De parentum valetudine, qui jamdudum diem obierunt supremum, certum se scire negat. Septemdecim annos nata prima habuit catamenia. Neque illo tempore se pallidam fuisse dicit, nec quidquam ex ejus relatione chlorosin ostendit. Catamenia ab illo tempore regulariter repetita esse refert, sed semper cum magnis molestiis conjuncta.

XXII annos nata mercenario nupsit, quocum per annos quindecim conjuncta, liberos sex peperit, quorum duo jam pridem mortui, quattuor superstites sunt atque optima valetudine fruuntur.

XXVI annos natam typho se se correptam esse dicit, quo morbo per menses quindecim laboravit. Tamen hoc morbo viribus admodum exhaustis, paullo post adeo reconvaluit, ut omnibus molestiis libera labores consuetos sustinere posset. Anno XXXVIII aetatis ad secundas nuptias transiit, quod matrimonium usque ad hoc tempus liberis caret. Quamquam de quotidiano victu cogitare cogeretur, tamen se solicitudine longinqua et gravi afflictam esse negat. Neque cibo nec potu noxio sibi nocuisse meminit.

Tamen tempore vernali anni 1855 primum indigestionibus vehementioribus affecta est, quae significabantur minuta cibi appetentia, ructibus acidis, singultu pertinaci, vomituritionibus, denique vomitu chronico et vehementissimis cardialgiis, quas mox secuti sunt dolores in dorso atque regione lumbali. Quae omnes molestiae alvi obstructione chronica augebantur. Hoc modo mox macie exorta, corporis vires consumebantur. Guttis quibusdam a medico porrectis dolores vomitumque evanuisse, sed omnino se non sanatam esse dicit, ita ut per longum tempus imbecillitate laboraret.

Die secundo m. Februar. h. a. malum hoc tantopere in pejus se verterat, ut in nosocomium se conferre coacta sit.

Aegrota nostra est media statura, crinibus nigris et flavo cutis colore. Panniculo adiposo paullulum exculto, musculis laxatis et membranis mucosis superficialibus pallidis, apparet aegrotam morbo labo-

rare, qui vires sensim corruperit. Per sex hebdomades queritur de anorexia, doloribus in regione epigastrica, ructu, anxietate et vomitu chronico, quae omnes molestiae plerumque cibis sumptis augentur. Haematemesi vero numquam laboravit. Menstruatio regularis, tantummodo profusa et doloribus sacralibus comitata.

Exploratio physicalis nihil vitiosi indicat, nisi quod regio epigastrica sinistra levi jam tactu vehementissimis doloribus afficitur. Quibus ex signis constituitur, aegrotam ulcere chronico ventriculi cum levi peritonitide laborare. Tres jam per dies Natro bicarbonico sine eventu hausto, Argenti nitrici grana duo pro dosi cibis nondum sumptis porriguntur, atque contra cardialgiam Tinctura Valerianae cum Morphio acetico adhibetur. Aegrota quum die XXVII. ejusdem m. iterum in nosocomium veniret, vomitum omnino cessasse dicit, multo serenior atque valetudinis statu contenta, appetentia ciborum adaucta.

D. I. m. Mart. Valetudinis statum multo meliorem esse, ex vultu et habitu aegrotae cognoscitur. Vomitus non repetitus, dolores cardialgici, interdum reversi, paucis Tincturae guttis cedunt. Ciborum appetentia ad integrum restituta, somno tranquillo gaudet. Curandi ratio igitur, nullis noxiis intervenientibus, quae instituta erat, prospero eventu tamdiu porro continuatur, donec omnes molestiae evanuerunt, ita ut nunc aegrota optima valetudine gaudens labores gravissimos sustinere possit. Per totam cu-

ram Argenti nitr. sumpsit drachmam unam et dimidiam.

Historia morbi II.

Friderika Ledebuhr XXXIX annos nata, mercenaria Gryphiswaldensis.

Aegrota a prima juventute corpore quidem erat infirmo, sed sano. Egestate opressa maximo labore victum quaerere coacta fuit, sed fame numquam vexata, frigori quoque admodum exposita non fuit.

Anno aetatis XVI menstruationem primam habuit, et quidem nimis largam, sed haud molestam. Priusquam vero pubes facta est, multis laboravit molestiis, cardialgia, doloribus capitis, vertigine, ceter., quae chlorosis suspectum afferunt; dicit quoque, se fuisse facie pallida illo tempore et contra illas molestias balneis pedum usam esse.

Aetatis anno XVIII menstruationem adhuc normalem post refrigerationem subitaneam diutius cessasse, seque eodem tempore valetudine pessima fuisse contendit. Post aliquod vero tempus, therapia idonea instituta, menstruationem et sanitatem rediisse. Postea vero se menstruatione profusa laborasse eaque maxime debilitatam esse dicit.

XX annos nata mercenarium in matrimonium duxit, ex quo septem peperit liberos, quorum quinque vivunt et optima gaudent valetudine Vernali tempore a. 1855 pneumonia et aliquot hebdomadibus post reconvalescentiam levi haemoptoë se laborasse dicit

Ceterum post illam affectionem bona gavisa est valetudine. Mense Octobr. a. 1855 symptomata exstiterunt, quae ventriculi morbum significarent. Appetentia ciborum deminuta, lassitudo, molestiae digestionis, vomitus, quo dolores leniri solebant, dolores prementes, torquentes in regione epigastrica. Praeterea alvus continuo obstructa fuit.

Post longius temporis spatium (aegrota contendit ex affectu psychico) aliquando, postquam paullum tantummodo cibi sumpserat, magnam copiam sanguinis subnigri, coagulati evomuisse dicit, unde lipothymia correpta est. Simulac ad se rediit, animadvertit praeter magnam lassitudinem, dolores in regione epigastrica pressione adhibita multo adauctos. Duobus diebus post denuo sanguinis copiam (circiter ℥xij) ejusdem qualitatis evomuisse dicit, eamque haematemesin diebus sequentibus ter repetitam esse, sed copia deminuta. A qua affectione medicorum studio et opera liberata post longius temporis spatium usque ad mens. Jun. a. 1856 valetudine tolerabili se gavisam esse dicit.

Quum vero per complures dies doloribus vehementissimis regionis epigastricae et iisdem digestionis molestiis atque antea, vexata esset, die XXI m. Jun. h. a. in nosocomium Gryphiswaldense venit.

Aegrota statura media, capillis nigris, cute miti, habitu debili, animo irritabili; cutis calor non praeter modum pallidus videtur, ejusque membranae mucosae modicum anaemiae gradum praebent. Auscultatione et percussione pectoris nihil, quod gra-

voris sit momenti, invenitur. Regio epigastrica tactu dolores vehementissimos ostendit, praecipue in illo loco, cujus dolores continuos spontaneos queritur. Ex symptomatibus, quae adsunt et ex anamnesi agnoscitur ulcus ventriculi rotundum recidivum.

Aegrotae more solito porrigitur Argentum nitric. Quum vero hoc non ferat et inde borborygmi, diarrhoea et tum obstructio exsistant, dolores quoque augeantur, Arg. nitr. dosi minore porrigitur, et quidem mane et vespere ad gr.j. Sedh oc quoque modo porrectum noxium esse videtur.

Die septimo igitur m. Junii Sal thermarum Carolinarum facticium datur, et quidem mane ad ℥ß jejunis faucibus. Quae dosis aegrotae nostrae mox nimis magna apparuit, diarrhoea enim profusa exstitit. Itaque ab Jul. m. d. duodecimo illi porrectae sunt drachmae duae in aquae lib. ij.

Die XX. ejusdem mensis jam meliore gavisa est valetudine. Dolores et angor deminuti, ciborum appetentia reversa, cibi, qui facile digeruntur, copia modica sumpti molestias exiguas excitant, sedes regulares.

Vitae ratione caute praescripta eademque therapia aegrota in dies firmior facta est, ita ut paucis post hebdomadibus, omnibus digestionis molestiis libera negotia solita obire posset.

Historia morbi III.

Charlotta Klüss, triginta octo annos nata, ancilla Gryphiswaldensis.

Agrota in juventute quidem debilis, ceterum bona gavisa est valetudine. Materad huc superstes admodum sana, pater jam dudum gastritide abreptus. Aetatis anno XIV. febri intermittente correpta est, qua novem circiter menses laboravit et maxime debilitata est. Postea sine dubio chlorosi laboravit; ipsa enim non solum hoc contendit, sed etiam post gravissimas molestias, quae in puellis chloroticis accidere solent, menstruatio demum XXII. anno aetatis primum apparuit. Ab hoc tempore menstruatione regulari quidem sed exigua gavisa est et molestiae priores evanuerunt. Postquam per longius temporis spatium bona fructa est valetudine, aetatis a. XXIV pneumonia se correptam esse dicit, qua septem hebdomades laboravit, et tum typho, ex quo tarde reconvaluit. Menstruatio, quae cessaverat, post duo demum annos rediit.

Aetatis anno XXVII. primum cardialgia, ructu, vomitu laboravit et tum jam sanguinis vestigia in rebus vomitu ejectis animadvertit. Postquam hic status compluries rediit et plerumque therapia adhibita mox evanuit, aegrota narrat, ante tres annos, quum Berolini ancillaretur, post vehementissimos dolores cardialgicos haematemesin exstitisse, praeterea narrat, ferrum tum porrectum a se non toleratum esse. Quo morbo commota Gryphiam rediit et XVIII hebdomades in nosocomio degit, quo tempore quotidiano fere vomitu vexata est, plerumque unam vel duas horas post coenam.

Molestiis fere omnibus liberata rus petiit, quo

medici consilium sequeretur, qui ei diaetam lactis commendaverat. Quo facto per longum tempus valetudine bona gavisa est. Sed vernali tempore h. a. denuo exstiterunt cardialgiae, vomitus et complures haematemesis, atque therapia medicorum frustra hunc morbum aggredi videbatur. Necessitate coacta igitur Gryphiam rediit, ubi primum in clinico ambulatorio Argento nitrico tractata est haud fausto tamen eventu, ita ut Julio mense ineunte in nosocomium recepta sit.

Aegrota statura satis magna et robusta summum macici et anaemiae gradum praebet, cutis et membranae mucosae admodum pallidae, oculi et genae collapsae. Prae debilitate maxima vix surgere potest et cardialgiae vehementissimae prohibent, quominus clara voce loquatur. Dolores regionis epigastricae tactu levissimo admodum augentur, ut peritonitis exorta timenda sit. Aegrota praeterea dyspnoea laborat, sed exploratio physicalis nihil praebet, quod a norma abhorreat.

Quum minime dubium esset, aegrotam ulcere rotundo laborare, primis diebus Argentum nitr. porro adhibebatur, quod quum nunc quoque nullum haberet effectum, sed aegrota semper vomeret illo sumpto, d. X Jul. pro Arg. nitr. Sal therm. Carol. porrigebatur. Et jam paucis post diebus eventus faustissimus apparuit. Vomitus sensim cessavit, dolores deminuti et sedes normales facti sunt. Quum usu continuo Salis therm. Car. appetentia ciborum rediret et aegrota in dies firmior fieret, brevi tempore surgere

et leviora negotia domestica agere potuit. Facies et habitus in dies meliorem praebuerunt adspectum, ita ut d. XI. m. Octbr. dimissa omnibus molestiis libera ancillae negotia suscipere posset.

Priusquam autem ex quoque horum eventuum, quos medicamentis adhibitis animadvertimus, rationem quoad vim horum medicamentorum concludamus, necesse est, ne obliviscamur simul cum therapia medicamentosa diaeteticam institutam fuisse. Qua de causa, primam aegrotam Argento nitrico sanatam esse, sine dubio non constat. Item, quo effectu in hoc casu Aqua Carolina futura fuerit, ne conjicere quidem possumus. In secunda autem et tertia aegrota Argentum nitr. simul cum cura diaetetica adhibitum malum effectum habuisse scimus, et ab eo demum tempore, quum Sal thermar. Carol. facticium porrigebatur, morbum in dies evanuisse videmus; quare omni jure bonum hunc eventum vi therapeutica Salis therm. Carol. factum conjicimus.

Optaverim, ut plures aegrotos ulcere rotundo affectos hac ratione sanatos proferre possem; sed, quum ulcus rotundum numquam adhuc nobis obvenerit, in quo therapia supra exposita frustra adhibita sit, sperare mihi fortasse licet, fore ut hoc opusculo plura experimenta quoad vim Salis therm. Carol. in morbos ulceri rotundo similes incitem.

Restat ut explicem, quo fiat, ut Sal therm. Carol. prae ceteris vim habeat in ulcus rotundum sanandum. Quae quaestio raro tantummodo atque parum accurate tractata esse mihi videtur. Sic

Hlawaček*) de hac re dicit „Auch gestehe ich, dass die Erklärungsweise, wie Carlsbad das Magengeschwür heile, nicht eben auf der Hand liegt.“

Quodque autem medicamentum eo plus valet, quo accuratius rationem, qua morbum aliquem removere possit, deducere licet. Qua de caussa conabor certe, rationes investigare, quibus Aqua Carolina vim habeat sanandi in ulcus chronicum ventriculi.

Quem ad finem primum nobis constituendum est, quasnam graves mutationes ulcus rotundum ventriculo afferre, necesse sit. Ac primum quidem notum est, omne vulnus in partibus vicinis signa inflammationis plus minusve producere. Quare nostro in casu stratum musculosum ventriculi, ulcere nondum valde in profundum progresso, inflammatione affici necesse est: oedemate facto motus peristalticus in eo extinguetur. Quae paralysis in regione ulceris, strato musculoso ulceratione jam affecto, completa erit, quantum autem fines ulceris transeat, scire non possumus; conjici autem potest, paralysi tantummodo circumscripta in ventriculo orta, motum ejus peristalticum summopere debilitari.

Tum ulcus rotund. necessarie catarrhum procreat, primum in ipso ulceris circuitu. Quomodo autem in oculi vulneribus totam membranam conjunctivam, saepe etiam alterius oculi, in lingua vulnerata dente acuto vel carioso, totum oris cavum catarrho affici animadvertimus, qui oris catarrhus

*) l. c.

jam saepe pro morbi gastrici signo habitus est, quomodo denique in ulceribus typhosis aut tuberculosis intestini ex diarrhoea pertinaci catarrhum intestinalem extensum conjicimus, — eodem modo dubium non est, quin ulcus rotundum toti tunicae mucosae ventriculi catarrhum afferre debeat. Quantum valeat catarrhus gastricus in originem ulceris chronici in ejus therapia parvi est momenti, quamquam, quum ulcus chronicum frequenter obveniat atque semper ex membrana mucosa initium capiat, non sine causa, credimus, catarrhum gastricum frequentissimam ejus caussam esse. Nostra hoc tantummodo interest, catarrhum gastricum ulcere chronico exorto, numquam deesse.

Hic autem catarrhus gastricus, quum, jam ulcere ipso continuo conservetur, omnia catarrhi gastrici chronici incommoda secum ferre debet. Motus peristalticus debilitatus et mutatus, perversa ventriculi secretio, efficiunt, ut ventriculi contenta diutius in eo remaneant atque mucus accumuletur, ex quo fermentatio acida oriri solet, quae pyrosin, vomituritiones et vomitum procreare potest. Si tunc haec contenta contra naturam mutata in intestinum perveniunt, exspectandum est, ea non solum difficilius assimilari, verum etiam intestini parietes irritare et copiosam epiteliorum reproductionem et hyperaemiam incitare, i. e. catarrhum intestinalem. Quo fit, ut signorum ulceris chronici creberrimum nobis occurrat chronica alvi obstructio, raro diarrhoea intercedente.

Maximi momenti in his signis est continua ventriculi et intestini hyperaemia. Quae hyperaemia chronica aeque ac continua irritatio ex ingestis contra naturam mutatis exorta, quin ad ulcus chronicum amplificandum plurimum valeant, fieri non potest.

Inter conditiones, quae in therapia ulceris rotundi alicujus momenti esse possunt, sententia commemoranda est, quam Ill. Virchow primus pronuntiavit*). Putat enim Virchow, ulcus rotundum plurimis in casibus ex necrosibus haemorrhagicis membranae mucosae oriri, qua occasione dicit: „So bald einmal die regelmässige Circulation am Magen aufgehört hat, so fehlen natürlich auch die Möglichkeiten zu einer regelmässigen Neutralisirung der eindringenden Säure durch die Alkalien des Blutes und es wird die Anätzung geschehen." Qui effectus eo vehementior erit, quo magis acida ventriculi contenta sunt, et quum via circulationis contra hoc malum nihil efficere possimus, tamen nobis est remedium in medicamentis alkalicis, quo acidum in ventriculo nimium formatum impugnemus.

Secundum conditiones commemoratas ulcus ventriculi sanari posse, a priori vix cogitari posset; tamen saepe fit, ut ejus sanationem adnimadvertamus. Immo non rarum est, sine therapia medicorum id sanari, quod crebris cicatricibus, quas ventriculus praebet in sectionibus, probatur, ubi interdum anamnesis nulla ratione ulceris rotundi signum

*) Virchows Archiv V. p. 362.

profert. Quamvis de ratione, qua in his casibus ulcus chronicum sanatum sit, ne tantillum quidem sciamus; tamen videor mihi contendere posse, ulceris sanationem tantum fieri posse, si supra nominatae mutationes in ventriculo et tractu intestinali exortae quam maxime deponantur, et catarrhum gastro-intestinalem chronicum gravissimum in therapia momentum esse.

De hoc igitur catarrho nonnulla dicere mihi liceat. Catarrhus gastro-intestinalis creberrimus omnium morborum esse mihi videtur, et chronicus factus saepe non satis respicitur, neque cognoscitur. Est autem mea quidem sententia, vix ullus morbus, cujus diagnosis et cura medico et aegroto gravioris sit momenti, quam hicce, cujus sanatio, therapia idonea instituta fere semper contingere solet. Sine dubio catarrhus gastro-intestinalis chronicus saepe ex aliis diversis morbis originem cepit, credo tamen illos justo saepius ejus caussas haberi. Id quidem constat, catarrhum gastro-intestinalem sponte exortum in eis, qui alio jam morbo laborant, difficilius sanari et eam ob caussam saepius chronicum fieri. Saepe autem morbi maxime diversi adesse creduntur, ubi solus catarrhus gastro-intestinalis adest. Qui error eo facile oriri mihi videtur, quod hic catarrhus symptomata tam varia facit, quam fere nullus alius morbus.

Itaque summa hypochondria ubi videtur, saepe certo tantummodo catarrhus gastro-intestinalis exsistit.

Omnia corporis vitia aperta hypochondriam excitare non solent, adeoque qui vitio cordis vel phthisi laborant, morbo cognito, hac re fere numquam commoventur, ut in hypochondriam incidant Sed in catarrho gastro-intestinali longinquo ex continuis digestionis molestiis, viribus in dies deminutis, saepe fit, ut mens imaginationibus maxime variis perturbetur, ita ut icterus ex catarrho gastro-duodenali exortus febris biliosa aut gravis hepatis morbus habeatur, falsae nervorum actiones signum cerebri morbi putentur.

Eodem modo, si cura mercuriali a syphilide liberatos paullo post hypochondriacos fieri videmus, equidem puto, plerumque catarrhum gastro-intestinalem, ex Mercurio sumpto exortum illa incommoda efficere. Nam interdum tales aegrotos, Sale thermar. Carol. breve per tempus porrecto, omnino sanatos vidi.

Porro, si morbos aqua Carolina prospero cum eventu tractatos contemplamur, ea symptomata in iis conspicua videmus, quae etiam in catarrho gastro-intestinali praevalent. Eodem modo conjicere possumus, quum alius re vera morbus exstiterit, qui aqua Carolina prospero eventu tractatus sit, tamen tantum catarrhum gastro-intestinalem sanatum esse. Itaque contendo, numerum eorum, in quibus aqua Carolina catarrhum gastro-intestinalem sanasse dicitur, plerumqne justo minorem censeri.

Restat tantum, ut demonstrem, quantopere Sali thermar. Carol. eae prae omnibus vires salutares

insint, quae ad curandum catarrhum gastro-intestinalem chronicum, imprimis ulcus rotundum opus sunt.

Ac primum quidem desideramus in hoc morbo medicamen, cui insit vistuto sed leviter purgandi. In nullo sane alio morbo majore cum cura inter remedia purgantia nobis delectus habendus est, quam in ulcere ventriculi chronico. Medicamenta drastica propter id ipsum rejicienda sunt, quod jam purgantia leviora, ne nimia dosi porrigamus, nobis cavendum est. Nam haec quoque catarrho excitato nocere possunt. Semper studere debemus, ut praeter modicam incitationem motus peristaltici et secretionis ventriculi et intestinorum, ingesta magis fluida efficiamus, quo melius resorbeantur atque moveantur. Ad hoc praecipue aqua apta est, quae aegrotis nostris commendatur. Noxia autem saepe fieret, si semper tam diu sumeretur, donec sedes factae essent. Itaque aquae effectum adjuvare debemus medicamentis, quorum aptissimum Sal thermarum Carol. mihi videtur, quod experientia quoque comprobatur.

Notum est hoc sal maximam partem ex alkalibus constare, quae sunt remedia solventia et purgantia, atque hac ratione, si caute porriguntur, per longum tempus aegroti iis sine incommodo uti possunt.

Maximum vero effectum habere mihi videtur acidum carbonicum, quod aqua Carolina Natro conjunctum continet. Liquor Sodae effer-

vescens propter copiam acidi carbonici prae omnibus remediis catarrhi gastro-intestinalis valet. Omnes liquores, qui multum acidi carbonici continent, quantopere nostro in morbo commodo sint, ex his verbis intelligi potest: „Jene Getränke wirken kühlend, die Secretion der Magenschleimhaut und die peristaltische Bewegung anregend, abnormen Zersetzungsprozessen entgegenwirkend, daher die Verdauung bessernd, gelind abführend, die Thätigkeit der empfindenden und bewegenden Nerven in so fern regulirend, als sie die auf Kosten der andern gesteigerte Thätigkeit des einen dieser Systeme durch Erregung des andern ins Gleichgewicht zu setzen scheinen und hierdurch Brechen und Magenschmerzen beseitigen können*).“

Itaque maximi est momenti, praeparatum, quod in ulcere rotundo adhibere volumus, quam plurimum acidi carbonici continere. Quantum hujus acidi Sali thermarum Carolin. naturali insit, facile intelligetur, si, quomodo paretur, enarravero.

Aquae copia ex fonte fervidissimo Carolinensi, Sprudel, qui nominatur, quum ad primam crystallisationem reducta est, tractatur, ut sequitur: „Die nach dieser Krystallisation zurückgebliebene Lauge muss abermals im Sprudel bis zur Haut abdampfen und auf dieselbe Art zur Krystallisation ausgesetzt werden, wodurch man wieder Krystalle, die aber mehr alkalisch, als die ersten sind, erhält. Endlich,

*) I. Clarus, Materia medica.

wenn in der letzten Mutterlauge keine Krystalle mehr anschiessen, wird dieselbe weggegossen. Wenn nun eine ergiebige Menge von solchem krystallisirten Salze beisammen ist, so wird alles noch anklebende und zu einem wahren Mittelsatz nicht gehörige Alkali vollkommen abgesondert. Dieses geschieht durch eine dreimalige Zerlassung des Salzes in reinem Brunnenwasser und wiede erfolgende dreimalige Krysallisation und sorgfältiger Trocknung auf vielfachem Fliesspapier. — Das auf diese Weise gewonnene Mittelsalz ist so rein, dass es weder den Violensaft im Mindesten verändert noch mit der schärfsten Vitriolsäure brauset. Es besteht zum grössten Theil aus schwefelsaurem Natron, dem eine nur geringe Menge von kohlensaurem Natron, Lithion etc. beigemischt ist*)."

Quo melius sal facticum cum naturali comparare possimus, proferam rationem, qua Sal thermarum Carolin. facticium in officinis Gryphicis paratur. Est autem haec:

℞ Natr. sulfur. ℔jv
— carbon. ℔ij
— muriat. ℔ 1/8
Aq. destill. q. s.

Liquorem evaporatione concentratum et filtratum in crystallos redige. In liquore remanente dissolve:

Natr. sulfur. ℔ij

*) Hlawaček l. c. p. 232.

et repete crystallisationem quamdiu crystalli obtinentur.

Sal Carol. hoc modo paratum praebet reactionem admodum alkalicam et cum acido sulfurico effervescit, quod Natro carbonico (bicarbon) in eo contento efficitur.

Itaque non possumus, quin Sal Carol. facticium, in ulcere saltem rotundo, naturali praeferamus.

VITA.

Natus sum Arminius Fridericus Schmidt, fidei addictus evangelicae, in pago Guestfaliae Dahl, d. XX. mens. Julii a. h. s. XXXII, patro Friderico, matre Elisabetha e gente Effey, quos adhuc superstites qua decet pietate colo. Primis literarum elementis domi instructus, gymnasium adii Tremoniense, quod tum floruit directore Beat. Thiersch. Testimonio maturitatis instructus tempore auctumnali a. h. s. LII. Gryphiam petii ibique a Beat. Matthies, Rectore Magnifico, inter cives academicos receptus, et apud Ill. Haeser, t. t. Decanum medicorum ordinis spectabilem, nomen professus sum. Per octo semestria audivi disserentes:

Beat. Matthies: de psychologia.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali, de electricitate, magnetismo et galvanismo, de acustice et optice, de geographia mathematica.

Ill. Hünefeld: de mineralogia, de chemia organica et anorganica, de exercitationibus chemicis, de geognosia et geologia.

Ill. Münter: de botanice, de zoologia, de botanice medica. Eundemque in excursionibus botanicis sum secutus.

Ill. **Stiedenroth**: de logice.

Ill. **Tillberg**: de physice experimentali.

Cel. M. **Schultze**: de osteologia et syndesmologia, de anatomia comparata.

Cel. **Pohl**: de syphilide, de tumoribus, de morbis organorum uro-genitalium.

Exp. **Bengelsdorff**: de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Exp. **Haeckermann**: de medicina forensi, de politia medica, de auscultatione et percussione.

Cel. **Eichstedt**: de morbis cutis, de exercitationibus obstetriciis in phantomate instituendis. **Idem** dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Ill. **Schultze**: de anatomia corporis humani, de physiologia, de anatomia pathologica, de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. **Haeser**: de encyclopaedia et methodologia medica, de pathologia et therapia generali, de semiotice et diagnostice generali, de pathologia et therapia speciali, de historia medicinae. **Idem** per duo semestria dux mihi fuit in clinico medico.

Beat. **Berndt**: de pathologia et therapia speciali, de morbis puerperarum, de arte obstetricia.

Ill. **Bardeleben**: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de ophthalmiatrice, de luxationibus et fracturis. **Idem** dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis nec non in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. F. **Niemeyer**: de pathologia et therapia speciali, de morbis organorum uropoëticorum. Idem per duo semestria dux mihi fuit in clinico medico.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas; imprimis autem Ill. Haeser et Ill. Niemeyer, quorum benevolentia erga me munus medici auxiliarii in instituto clinico medico accepi, quo per duodecim menses functus sum.

THESES.

I.

Alvi obstipationes saepissime e catarrho intestinorum pendere contendo.

II.

Omnes cataractae operationes, quibus lens non ex oculo removetur, rejicio.

III.

In gravidis speculum adhibere nefas.

IV.

Pneumoniae therapia non nisi symptomatica.

V.

Non sunt nuclei liberi (freie Kerne).